

dentibus sub sensu ; mathematica autem ipsa sub sensu cadunt, & imaginationi subiacent , vt linea , figura , numerus , & huiusmodi , & ideo intellectus humanus a phantasmatisbus accipiens facilius earum cognitionem accipit , & certius , quam intelligentia alicuius , vel etiam substantie quidditatem , potentiam , & actum , & huiusmodi ; & sic patet , quod mathematica consideratio est facilior , & certior , quam theologica , & multo plus quam aliæ scientiæ operatiæ.

29 Conclusio 2. physica est certior quoad nos , quam metaphysica ; patet ex iam dictis , & totum ostendo cum doctrina Angelici Doctoris tertio contra gentes . cap. 29. , vbi habet quod cognitio Diuinarum rerum multum incertitudinis habet , quod demonstrat diuersitas scientiarum de diuinis eorum , qui hoc per viam demonstrationis inuenire conati sunt , quod etiam confirmo ex doctrina Rabi Moysis quia ad talem acquisitionem , metaphysica quatenus naturali virtute a nobis potest acquiri , requiruntur omnes scientiæ , in tanta autem multitudine demonstrationum potest contingere , quod quis accipiat pro demonstrato aliquod falsum , quod tantum aliqua probabili , vel sophistica ratione sit ostensum , ex quo fundamento Angelicus Doctor primo contra gentes capite 4. concludit sic , & ideo oportuit per viam fidei fixa certitudine ipsam veritatem de rebus diuinis hominibus exhiberi .

30 Conclusio 3. metaphysica est diuinissima & honorabilissima omnium scientiarum .

Probo conclusionem authoritate , & ratione adducta a S: Thoma , quæstiuncula 3. opusculi citati supra n. 28. vbi docet , quod sicut rationabiliter procedere attribuitur naturali scientiæ , eo quod in ipsa obseruatur maximus modus rationis , ita intellectualiter procedere attribuitur diuina scientiæ , eo quod in ipsa obseruatur maxime modus intellectus ; differt autem ratio ab intellectu sicut multitudo ab unitate . quare Boetius 4. de consolatione ait , quod similiter se habet ratio ad intellectum sicut tempus ad æternitatem , & circulus ad centrum , est namque proprium rationis circa multa diffundi & ex eis unam simplicem cognitionem colligere : quapropter in hac re reflectendo D. Dionylius cap. 7. de diuinis nominibus dixit , quod anima secundum quod habet rationabilitatem diffusive circumuenit veritatem , & in hoc differt ab Angelis , sed in quantum multa conciliat ad unum , quodammodo sequitur Angelos ; intellectus autem